



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 15. Ludovicus Bavarus Romnanorum Rex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

- Sæcul. XIV.** cem Ecclesiasticis tradere non omittent
A.C. 1314. sub anathematis pœna, qua durante non
 adhereri poterunt ad conficiendas tabu-
 las publicas. Religiosi vel alii nequi-
 bunt usu capere solutionem ab inspectio-
 ne proprii Episcopi. Sacerdotes intra
 trimestre spatium post sui consecratio-
 nem primum facere sacrum, & postea
 saltem semel quolibet anno rem divinam
 peragere tenebuntur. Interdicta ob cau-
 sas mere pecuniarias neutiquam pro-
 nuncientur. Quibusdam Religiosis E-
 piscopi concesserant, ut in concionibus
 suis indulgentias annunciarent; quas om-
 nes revocat Concilium.

§. XV.

*Ludovicus Bavarus Romanorum
 Rex.*

*Epist. ap.
 Kayn. 1314.
 n. 18.*

Imperium Germaniæ quatuordecim pro-
 pmodum menses vacaverat, cum
 Francofordiæ præstituto die proximo post
 festum S. Lucæ nempe decimo nono O-
 ctobris comparuerunt Electores Petrus
 Moguntiæ, Balduinus Luxemburgius
 Trevirorum Archiepiscopi, Joannes Bo-
 hemorum Rex hujus nepos, Imperatoris
 Henrici VII filius, Valdemarus Marchio
 Brandeburgius, ac Joannes Dux Saxo-
 niæ. Hi quinque in consuetum Fran-
 cofar-

cofurtensis suburbii locum delati per- Sæcul. XIV.
 acta liturgia de Spiritu Sancto, cum in A. C. 1314.
 suffragia eundum esset, expectabant,
 quamdiu debere se putabant, Henricum
 Archiepiscopum Coloniensem, ac Rudol-
 phum Comitem Palatinum Rheni. Nun-
 cium ab his quanquam in propinquo a-
 gentibus nullum nacti, electionem dif-
 ferebant in diem posterum, idque per
 nuncios certos eis indicarunt. Cum non
 venissent, sequente die 20 Octobris an-
 no 1314 cæteri quinque post solitas ce-
 remonias in Romanorum Regem coopta-
 bant Ludovicum Comitem Palatinum
 Rheni & Bavarizæ Ducem, Rudolphi
 fratrem: amborum enim pater fuerat
 Ludovicus Severus Bavarizæ Dux e stir-
 pe Wittelspachiorum. Ludovicus præ-
 sens, postquam consensit in suffragia,
 ad Francofurtense S. Bartholomæi tem-
 plum per Electores deductus, solennes-
 que inter ritus impositus altari fuit.
 Cantato deinde hymno S. Ambrosii pro-
 mulgata est electio. Hæc sunt, quæ con-
 tinet epistola Moguntini Archiepiscopi
 ad futurum Papam 23 Octobris data.

Interea duo reliqui Electores Henri- Alb. Argent.
 cus Archiepiscopus Coloniensis, ac Ru- p. 119.
 dolphus Comes Palatinus, Dux Bavarizæ J. Villani
 Saxenhusii prope Francofurtum in Re- l. 9. c. 66.
 gem Romanorum eligebant Fridericum
 Ducem Austriæ, Imperatoris Alberti fi-
 lium,

Sæcul. XIV.
A. C. 1314.

lium, Rudolphi nepotem. Hunc Coloniensis Bonnæ, Ludovicum Bavarum Moguntinus Aquisgrani coronavit: quæ duplex electio ingentes postea turbas non in Imperio solum, sed & in Ecclesia commovit.

§. XVI.

Mors Philippi Pulchri. Ludovicus Rixosus ei succedit.

Rex Philippus Pulcher hoc anno 1314, regiminis sui tricesimo die Veneris præcedente festum S. Andreæ 29 Novembris Fonte Bellaqueo vitam posuit. Conscendit Franciæ solium Ludovicus filius ejus natu maximus jam Rex Navarræ, ac per Girardum Episcopum Sæssionensem cum duobus aliis Legatis ad Curiam Romanam missum electionem Papæ petiit; sed incassum. Hic novus Gallorum Rex sub nomine Ludovici Rixosi cognitus gradu movit Cancellarium Petrum Latillium Episcopum Catalaunensem, & tanquam suspectum de nece illata Regi Philippo Pulchro ac Episcopo ipsius antecessori in carcerem duci voluit nomine Archiepiscopi Remensis Catalaunensium Metropolitæ. Mense Octobri anno 1315 habitum Silvanecti est concilium, cui hic Archiepiscopus Robertus

C. Nang.
p. 659.

p. 661.

p. 665.
to. 11. Conc.
p. 1623.